

Q. B. V

PRAESENTIAM  
PAVLLI

FAMAM IPSIVS MINVENTEM  
EX ADVERSARIORVM IVDICIO

III NON· IVLII cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> CCXXI

EXPONENT PVBLICE  
PRAESES

M· IOAN· CHRISTOPHORVS  
GVBITIVS  
GOLDLAVTERA HENNEBERG

ET  
RESPONDENS

IOAN· CHRISTIANVS Schwendler  
ERLAVIA HENNEBERG  
PHILOS· ET SACR· LITT· CVLTOR

VITEMBERGAE  
PRELO CREVSIGIANO

a. XLV. 29.

~~F. XIX. 28~~

~~M. VIII. 25.~~

Coll. diss. A  
44, 29



PRÄSESSENTIAM

PAVILLI

FAMILIARIS MINUTEM  
EXADLERATIONEM

IN NOV. M. M. C. C. C. C.

EXOMENTRIBUS

PRINCES



M. JOAN. CHR. TOPHORVS

CVBITVS

GOLDLAVTERA HENNEDRIG

RESPONDENS

IOAN. CHRISTIANVS COMITVS

FEELIA BENNERS

THEO. SACRILEGII VICTOR

VITIBOR

PRELO CEVSIGIANO

~~1715~~



DE  
PRAESENTIA PAULLI  
FAMAM IPSIVS MINVENTE.

Σύνοψις.

Quid hac dissertatione praestitu-  
ri simus, indicat §. I. Fama  
Paulli, eo praesente, aduersariis  
dicitur imminui (1.) *infirmi-  
tate cor-  
poris*. Paullum exiguae fuisse sta-  
turae, eruditi tum ex hisce aduer-  
sariorum, 2. Cor. X. 10. §. II. tum  
ex ipsius Apostoli verbis, Phil. III.  
21. tum etiam ex ipso nomine Paul-  
li, colligunt. §. III. An Paullus sit  
Beniamin paruus, Ps. LXVIII. 28.  
§. IIII. An idem sit cum Samuele  
paruo, cuius in Talmude mentio  
fit, secundum Altingii et Zeltneri  
sententiam? §. V. VI. In quo nu-  
mero Nicephori Callisti *προσωπο-  
γραφία* Paulli sit habenda? §. VII.  
Argumenta pro exigua Paulli sta-

tura adlata ponderantur. §. VIII.  
An ex statura Paulli temperamen-  
tum eiusdem possit iudicari? §.  
VIII. Eadem an caelibatum eius  
comprobet? §. X. (2.) *λόγῳ ἐξ-  
θενημένῳ*. Mores et studia Co-  
rinthiorum, ratioque docendi a  
Paullo apud eosdem adhibita, ex-  
ponuntur. §. XI. Atque inde sen-  
sus verborum aduersariorum erui-  
tur §. XII. et confirmatur §. XIII.  
Iisdem lux adfunditur ex simili ob-  
iectione Apostolo facta, 2. Cor. XI.  
6. §. XIII. Vñus horum, contra  
illos, qui Paullo idioticum dicen-  
di genus tribuunt, indicatur. §. XV.  
Conclusio §. XVI.

§. I.

**P**ostequam de iis, quae, famam PAVLLO conci-  
liare, aduersarii concedebant, ex II. ad Corinth. X.  
comm. X. diximus, exponendo *τὸ βαρὺ καὶ  
ἰχυρὸν*, PAVLLO, eiusque epistolis tributum,  
sequitur, vt de iis, quae famam eius imminuere rursus  
perhibent obtrectatores isti, videamus. Illa duorum sunt  
generum, quae his verbis proponunt: *ἡ δὲ παρῆσία τῆ σῶ-  
ματος ἀσθενῆς, καὶ ὁ λόγος ἐξῆθενημένος*, *praesentia corporis in-  
firma, sermoque est nihili*. In principio huius capituli Apo-  
stolus, se *κατὰ πρόσωπον ταπεινὸν* inter Corinthios esse, di-  
xerat; quod vt ad corpus aequae, ac ad animum mores-

A 3

que



que poterat referri, ita ad vtraque Apostolum respexisse, ipse declarat, adducendo dictum aduersariorum iudicium. Ordine igitur duo ista considerabimus.

## §. II.

Ἡ δὲ παρουσία (παρρησία non est probatorum codicum) τῆς σώματος ἀσθενῆς, q. d. corporis constitutio non respondet auctoritati, quam sibi arrogat PAVLLVS, illa enim infirma plane et humilis est. Exigua PAVLLVM fuisse statura, ex his aduersariorum verbis, nec non ex aliis testimoniis, eruditi non sine ratione colligunt. Quamuis enim infirma ex infirmitate corporis PAVLLI ad breuitatem staturae videri possit consequentia, quum tantum ad membrorum externam structuram, minus forte elegantem, vel valetudinem minus firmam, referri queat: negari tamen non potest, quum corporis praesentia absentis opponatur epistolis, vero simile esse, quod magnificentum ac validum scripturae genus cum humili et abiecto PAVLLI corpusculo aduersarii voluerint conferre.

## §. III.

Sed et alia passim producuntur argumenta, e quibus, humili PAVLLVM statura incessisse, efficiatur. Ipse Apostolus, si quibusdam credimus, in epistola ad Philipenses cap. III. comm. XXI. de suo corpore loquitur, illudque, ceu σώμα τῆς ταπεινώσεως, falsorum apostolorum opponit corporibus, de quibus ibidem comm. XVIII. dixerat: ὧν ὁ Θεὸς κοιλία. Falsi enim apostoli forma, statura et specie externa adeo praefulgebant, vt PAVLLVS, hac quidem ex parte, in comparisonem cum illis venire minime posset. (a) Sunt etiam, qui ex etymologia nominis PAVLLI (b) probabilitati eius rei aliquid accedere

a) vid. GE. MICH. LAVRENTII Erkl. des andern Briefs Pauli an die Corinth. p. 342.

b) Ab Hebraeis perperam accessit HIERONYMVS, dicens Paulli nomen Hebraeis sonare mi-



accedere existiment. Notum est enim, id nominis Romanis sonare pusillum, atque ab habitu corporis Romanos consueuisse adpellatiua vocabula in priorum usum conuertere, ex Rufi, Crassi, Longique, et aliis nominibus liquet. Atque sic, a breuitate corporis Apostolum quoque hoc nomen accepisse, existimant. (c) Sed, cuius pretii sint argumenta ab etymologia petita, notius est, quam vt moneri debeat. Et difficile est, de statura hominis vix nati iudicium ferre: nam, duplex nomen Apostolum ex circumcisione statim habuisse, vnum scilicet Sauli, ortus iudaici, alterum Pauli, natiuitatis, factae in vrbe romano imperio inserta, indicem, (d) vero simillimum est, atque ex actuum apost. cap. XIII. comm. VIII. videtur confirmari. Vnde etiam Saulus apud Iudaeos, PAVLLVS vero apud gentiles voluit denominari, adeoque omnibus omnia fieri.

## §. III.

Nota est interpretum plerorumque de locis illis Genes.

A 3

rabilem, ( a פִּלָּה ) vapulans propterea ERASMO. Alii plane ridicule a פִּה os, et αὐλός, tibia, qs. os tubae. Alii a Graecis, vel a πᾶνεν, quod sedare est, vel a πᾶυλος, quod quietum notat, vti contra Saulus inquietudinem significat. Alii a פִּעַל operatus est. Alii aliter. Sed latinum esse rectius statuitur. Romani Paullos habuerunt, priusquam vlla illis cum Hebraeis intercederet communio. conf. GLASS. *Philol. S. L. III. tr. III. Obs. V. et XII. LEVSDEN. in Philol. hebr. graec. diff. XX. §. III. p. 158. seq.*

c) SPANHEM. *diff. hist. num.*

XXV. aliique.

d) vid. CAVE *Antiq. Apost. in vita PAVLLI cap. I.* Non probamus inanem coniecturam, quando, Saulis Hebraicam adpellationem in Pauli latinam leuiter esse inflexam, nonnulli dicunt; aut quando alii in Pauli Proconsulis gratiam et memoriam, vel propter officium euangelii inter ethnicos amplificandi, adscitam demum fuisse, aiunt. Ceterum OVVENI elegans est de Pauli nomine lusus:

*Qui modo Saulus eras, inuerso nomine saluus  
Factus es, et πᾶυλος, qui modo  
Φᾶυλος eras.*



nes. cap. XXXXVIII. comm. XXVII. ac Psalm. LXVIII. comm. XXVIII. sententia. In quibus non modo patres, verum etiam recentiores multi, PAVLLVM, quippe qui fuit ex tribu Benjamin, (e) inueniunt. Nec falluntur, opinor. Quum vero in posteriori loco Benjamin parvus dicatur, quaeritur, quo sensu vox צעיר accipienda sit? Refertur ea vel ad natales, et significat minorem natu, (f) vel ad statum et conditionem vitae, notatque humilem et abiectum, (g) vel etiam ad corporis staturam. Omni modo et respectu PAVLLVM diceres paruum fuisse. Minor fuit natu reliquis apostolis, post eos omnes vocatus; animo humilis et modestus; corporis statura forte non adeo conspicuus. (h) In quantum igitur et hic locus PAVLLVM statura paruum confirmet, vel saltim illustret, aliorum esto iudicium.

## §. V.

Quoniam semel ad hanc quaestionem deuentum est, non possum mihi temperare, quin ingeniosam ALTINGII (i) de Samuele paruo, cuius in Talmude mentio fit, huc referam opinionem, multorum eruditorum plausum adeptam. Samuel ille paruus in talmudico tractatu ברקית atque hinc a GANZIO describitur, ita quidem, vt idem clarissimo viro cum Apostolo PAVLLO videatur esse, eo quod, vt ipse loquitur, ouum ouo similis non fit

- |  |  |
|--|--|
| (e) Rom. XI. 1. Phil. III. 6.              | ta Paulli Apost. Sect. I. §. 10. p. 9. |
| (f) Gen XXXVIII. 14. et alibi.             | sq. it. M. MEINH. PLESKEN in           |
| (g) vt Psal. CXVIII. 141.                  | duab. diss. de Beniamine paruo,        |
| (h) Vide plura ap. CAMP. VI-               | Witteb. 1719. et 20. habitis. Est      |
| TRINGAM <i>Obs. sacr.</i> T. I. lib. III.  | eadem sententia de Beniamine par-      |
| cap. III. p. m. 526. sqq. IAC. AL-         | uo HIERONYMI, THEODO-                  |
| TING. in <i>Schilo</i> lib. IIII. cap.     | RETI, LIRANI, PELLICANI,               |
| XVIII. et <i>Comm. in Ps.</i> LXVIII.      | BRENTII, aliorumque.                   |
| <i>Opp.</i> T. II. P. III. pag. 112. Conf. | (i) in <i>Schilo</i> , cap. XXVI. sqq. |
| WITS. <i>Mel. Leid. praelect. de vi-</i>   |  |



fit, vnicum nominis discrimen si seponatur: quod ipsum tamen non eo usque putat dissentire, vt conciliationem commodam non admittat. Quum enim vtriusque praeceptor fuerit Gamaliel senex; quum vtrumque is imbuerit zelo contra christianos, eiusque documenta vterque dederit manifesta; quum vterque odium istud in Christianos deposuerit, gentis vero Iudaicae odium ac persecutionem in se concitauerit; quum vterque eiusdem aetatis fuisse dicatur, tempore zeli aduersus Christianos exerciti, depositique, aetatis nempe iuuenilis, adfectibus vehementioribus magis obnoxiae; (quae singula diligenter inter se conferuntur, probanturque) nonne verosimile est, quod vult ALTINGIVS, Saulum, qui et Paulus vocatus fuit, et Samuelem illum paruum esse vnum eundemque? Quod autem ad differentiam nominis attingit, nomen Samuelis, inquit vir clarissimus, substituisse Talmudici videntur, vt obscurarent memoriam celeberrimi apostoli, relictis tamen et veritatis et suae simul detestationis quibusdam vestigiis. Illius quidem; adfinia quippe sunt nomina שׂאול *Saul*, et שׂמואל *Samuel*, litteras radicales si intueamur, immo ab eadem radice שׂאל *petiit, postulauit*, deducta, vti ratio impositi Samueli nominis euincit 1. Sam. I. 20. Huius vero; nam מ destinato consilio insertum existimo, initialem litteram vocis מין *baereticus*, vt hoc stigmate deserti pharisaismi eum notarent. Neque hoc admissum ab ipsis sine exemplo. Nam Iud. XVIII. 30. sacerdos Michae, qui cum huius idolo ad Danitas concessit, dicitur *Jonathan, filius Gerschon, filii מנשה Manassis*, fuit tamen iste, omnium interpretum consensu, nepos משה *Mosis*: insertumque illud ג ob reuerentiam Mosis, a quo tantopere degenerauit, radicalis prima ex משה *oblitus est*, quia virtutum aui sui oblitus fuit degener nepos, dignusque



„gnusque habitus, vt, in eius genealogia recensenda, no-  
 „men aui per obliuionem oblitteraretur. Pari adfectu  
 „*ⲓ* ex *ⲓ* *baereticus* nomini Saulis insertum, et hinc Sa-  
 „muelem in Hebraeorum scriptis dictum, credimus, ea-  
 „que propter vnum eundemque esse, qui Talmudi *Samuel*  
 „*paruus* s. *exiguus*, quique Lucae Euangelistae in Actis c.  
 „VII. 58. *ὁ νεανίας Σαῦλος*, *adolescens Saulus*, dicitur. Sed  
 „et alia conciliandorum nominum suppetit ratio. Non  
 „desunt, qui, Apostolum gentium inde a pueritia bino-  
 „minem fuisse, adfirmant, quorum alterum gentis et pro-  
 „sapiae fuit, *Saul*, Beniaminitis gratum, quo inter Iudae-  
 „os vsus est, alterum patriae priuilegium ostendit, quae  
 „colonia Romanorum, Act. XXI. 39. XXII. 25. seq. *Paulus*  
 „nempe Romanis frequentissimum nomen, *Paulus* por-  
 „ro latinum vocabulum est, idem quod paruus, vnde pau-  
 „lum, paululum, aliaque descendunt. Igitur *ⲓⲡⲓⲛⲁⲗ*  
 „seu potius, extrita, quam odium religionis inseruit, lit-  
 „tera *ⲓⲡⲓⲛⲁ*, *ⲓⲡⲓⲛⲁⲗ* idem est quod Saulus Paulus,  
 „proprio nomine posteriore in adpellatiuum verso, vel  
 „etiam latino adpellatiuo a statura ipsi addito, (quippe  
 „NICEPHORVS corpore paruo et contracto et quasi  
 „incuruo fuisse prodidit) in synonymum hebraeum com-  
 „mutato. Quo modo itidem Talmudici et Christiani  
 „hominis idemtitas comprobatur.

## §. VI.

Patet hinc, quid ex hac ALTINGII sententia,  
 si quidem omni dubio careret, ad paruum PAVLLI  
 staturam comprobendam possit adferri. Sed, vt taceam  
 non necessario *ⲓⲡⲓⲛⲁ* ad corporis staturam referri de-  
 bere, quod nec ALTINGIVS vult, habuerunt omnino  
 alii rationes nonnullas dissentiendi. Obstare enim dicunt  
 locum R. GEDALIAE, qui Samuelem paruum comme-  
 morat *composuisse precationem contra haereticos coram R. Ga-*  
*maliele sene, et vocari paruum RESPECTV SAMVELIS PRO-*  
*PHETAE,*



*PHETAE*, mortuumque esse ante vastationem templi. Monent itaque, licet cetera inter se sic satis conueniant, tamen pugnare, quod idem cum Propheta Samuele nomen habuerit is, de quo R. GEDALIA loquitur, quod exinde pateat, quia, si Saul dictus fuisset, non ad distinctionem a Samuele Propheta dictus fuisset *קטן* minor. Quodsi, inquit, eius nomini *ד* insertum esset ex *ד* haereticus, procul dubio non compararetur cum Samuele, et eo minor diceretur. Neque a R. GEDALIA dicitur *קטן*, quod corpore, aut aetate, sed quod dono prophetiae minor fuerit propheta Samuele. Nec denique mortuus diceretur, sed debito adfectus supplicio: nam illud, quod ALTINGIVS dicit, non nisi mortem civilem esse intelligendam, et tantum, ut scenae seruiretur, circumstantias esse variatas, satis fundamenti habere minus videtur. Ceterum, quod circumstantiae pleraeque conueniunt, non obstat, quo minus et alii personae possint convenire. Cel. tamen ZELTNERVS etiam in eandem cum ALTINGIO deuenit sententiam, testatus licet, huius viri consensum, non nisi, quum finem suae disputationi (k) imponere voluisset, a se ex WITSIO (l) fuisse animaduersum. Is ergo perquam ingeniose ac docte hanc sententiam non quidem, ut ipse fatetur, demonstrat, sed tamen non contemnendis indiciis atque verosimilitudine reddit conspicuam, ita tamen, ut in ALTINGII argumentis perlustrandis quaedam sibi videatur inuenisse, quae emendanda et corrigenda existimet. Et fateor, iis, quae disputat, facile ad adsensum quemquam posse permoueri.

## §. VII.

Satis clarum, si modo fide dignum, de habitu corporis PAVLLI testimonium, ac diligentissimam eius *προσωπογραφία*

B

k) de fragmento Paulli quondam peruersi, Altorf. 1713. hab.

l) in Meletem. Leidensib.



πογγραφίαν reliquit NICEPHORVS CALLISTVS, (m) scribens eum fuisse corpore paruo, et quasi incuruo, atque paullulum inflexo, facie candida, annosque plures prae se ferente, et capite caluo: oculis multam gratiam, supercilia deorsum versum vergentia, nasum pulcre inflexum, eundemque longiorem, barbam denfiorem, et fatis promissam, eamque non minus, quam capitis comam, canis respersam fuisse. Quae vero, verba sunt „HERM. WITSII, (n) qua auctoritate NICEPHORO „tradita sint, meum non est praestare. Audacissimam sublestae fidei, et recentis hominis, delineationem nominat GVST. GE. ZELTNERVS. (o) Interim PAVLLVS etiam CHRYSOSTOMO (p) vocatur ὁ τετραπυγος ἀνδρωπρος, tricubitalis, siue quatuor circiter pedum, homuncio.

## §. VIII.

Ita summatim libuit delibare argumenta atque testimonia, quibus exigua PAVLLI statura vel comprobari, vel solet illustrari. Iudicabis, beneuole lector, vtrum Apostolus eruditus statura paruis (q) accensendus videatur? an illi forte rectius sentiant, qui, PAVLLVM robustis potius ac validis membris praeditum fuisse, ex crebra eaque exquisita, quam sustinuit, flagellatione, quae tamen pro paruitate et imbecillitate corporis minui semper solebat, colligunt? (r) Considera immensos, quos exhausti labores, exquisitos dolores. An putas corpus Apostoli iis perferendis suffecisse, nisi firmis et robustis membris

- m) *hist. eccl. lib. II. c. XXXVII.* eruditione magnis, Gryphisw. habit. Vergnügung müßiger Stunden / P. VIII. p. 49. sq. et P. XII. p. 42. sq. it. IO. AD. BERNHARD. curieuse Hist. der Gelehrten / lib. II. cap. XVI. p. 113. sqq.
- n) *Melet. Leidenf. p. 221.*
- o) *diss. cit. p. 40.*
- p) *Serm. in Petrum et Paullum, ap. CAVEVM in Antiquit. Apost. in vita Paulli cap. VIII.*
- q) de quibus vid. QVADE in *disp. de eruditis statura paruis, sed*
- r) SCHICKARDVS in *Iure regio Hebr. c. II. theor. p. 144.*



membris fuerit instructum? At fortassis maleferiati Iudaei de industria supplicia potius auxerunt, quam minuerunt, nulla corpusculi, quantumuis infirmi, habita ratione. Fortassis, vbi vires naturae defecerunt, in subsidium diuina gratia venit: immo vero certissimus ea de re poterat Apostolus esse, quippe diuina responsione dignatus: *sufficit tibi gratia mea, nam potentia mea in infirmitate consummatur.* (s)

## §. VIII.

Sed, ne quid temere praetermittamus, quod ad praesens argumentum pertinere videatur, sunt, qui ex parua minusque spectabili PAVLLI statura ad temperamentum eiusdem, et quidem cholericum, argumententur. (t) Cholericos enim communiter breui statura incedere, persuasum habent, causamque rogati respondent: *quia partes sulphureae, dominium in hoc temperamento obtinentes, humores pingues atque chylosos nimium resoluunt, et ad nutritionem ineptos reddunt, deinde etiam, quoniam excessiuus iste calor, quo gaudent, partes sanguinis nutritias, in nutrimentum et augmentum alias cessuras, dissipat atque discutit.* Verba haec sunt GOELICKII. (u) Iam ergo sciunt, PAVLLVM fuisse cholericum, hinc etiam ad animi Paullini cognitionem

B 2

se

s) 2. Cor. XII. 9. Quae verba licet commode satis in versione B. LVTHERI exhibeantur: *Lasse dir an meiner Gnade genügen etc.* tamen Paulo curatius sensus Apostoli ita exprimi potest: *Du hast Gnade genug von mir darzu bekommen / etc.* suadente hanc versionem et indicatio verbi ἀρκεί, et sequenti membro, quod rationem reddit, quaei Deus Paulo sufficientem suppeditaverit gratiam: ἡ γὰρ δύναμις μὲ ἐν ἀσθενείᾳ τελειῖται.

vid. ALETHAEI Erläuterung T. I. p. 23.

t) Cel. BVDDEVS, cuius verba, quae in *Coll. theol. moral.* reperiuntur, adlegat ZEITFVCHS. bibl. Wegweiser P. III. p. 164. sq. FRID. QVIR. GREGORIVS in *diff. priori de temperam. scriptor. N. T.* (Lips. 1717.) §. 23. p. 36. sq.

u) *diff. de temperamentorum natura, characteribus, et diathesi morbosa* (Hal. 1705.) th. 15. conf. GREGORII *diff. cit.*



se peruenisse existimant. Nobis, quid fundamenti per-  
uulgatae de temperamentis doctrinae subsit, in praesenti  
explorare non licet. (x) Interim HVARTVS PAVL-  
LVM non cholericum, sed melancholicum dixit adu-  
stum. (y) Sed, si quem forte pertaedeat tantarum litium,  
quae de temperamentis hominum agitantur, is in co-  
gnoscentis hominum ingeniis moribusque palmarium  
deputet, vt qualitates intellectus et voluntatis non e san-  
guine, quidquid etiam illa ratio habeat fundamenti, quod  
certe non est satis firmum et constans, sed ex ipsa anima  
deducat, easque partim a natura, partim ab aducatione,  
itemque a conuersatione et vitae conditione, deriuat, san-  
guinis temperamentum medicis relinquens, et, quomodo  
iudicium, ingenium, atque memoria, et item, quomodo tres  
illi adfectus principales, ambitio, voluptas et auaritia  
inter se sint commista, et temperamentum intellectus et  
voluntatis constituent, e cuiusuis actionibus maxime di-  
spiciens. Ita si procedat, cognoscet PAVLLVM, siue,  
quantum ad sanguinem physicumque attinet tempera-  
mentum, melancholicus, siue sanguineus, siue choleri-  
cus, siue phlegmaticus fuerit, fuisse acerrimo iudicio,  
magnoque animo et ad summa nato, ambitione tamen  
ante conuersionem infecto, et quae sunt, alia huius gene-  
ris. Quae etsi cum eorum, qui receptam temperamen-  
torum rationem sequuntur, sententia forte concordabunt,  
viam tamen commodiorem se iniisse videbit, quam,  
si ex habitu corporis animi voluerit indolem iudicare.

§. X.

Ceterum ii, qui caelibatum PAVLLI propugnant, inter alia  
etiam

x) Nullum esse adfirmant M. FRID. MENTZ. in disp. de tempera-  
mentis. IVL. BERNH. de ROHR von der Erkänntniß der menschli-  
chen Gemüther/ c. VIII. p. 242. sqq. RVDIGER, in phys. diu. lib. I. c. III.

sect. VII. §. 80. sqq. M. VOLCKM. CONR. POPPO von dem wahren Unterscheid der Philosophischen und Mathematischen Methoden (Vinar. 1721.) c. III. §. 54. sqq. p. 63. y) Scrutin. ingenior. cap. XIII.



etiam in firmitatem corporis eius huc trahunt. Certe aliquid huic rationi tribuit I. A. SCMIDIUS. (z) Quemadmodum vero, hac sola ratione si quis niteretur, parum vel nihil probabilitatis adferret, ita vir laudatus, argumentis, quae adduxit, iunctim consideratis, maiorem omnino probabilitatem illi sententiae conciliasse videtur, quam contrariae D. GOTTL. CHRISTIANVS KOCHIVS, (a) aliique. Quamquam cuius liberum ea de re iudicium est. Sed haec de infirmitate PAVLLI corporis sufficient, quam aduersarii ad famae eius detrahendum, sed frustra, vrgebant: satis eo ipso testantes, se non nisi infirmis quibusdam et vulgaribus, non vero idoneis, instructos esse argumentis. Quo enim infirmior fuit is, quo usus est DEVS in manifestandis mysteriis miraculisque suis, eo maior est gloria. Neque externa tanti sunt, ut abiectius de animi dotibus sentiendum sit.

## §. XI.

Restat, ut de sermone, quem PAVLLO obtrectatores tribuunt, ἐξ & θενημένω videamus. Vbi ante omnia partim mores et studia Corinthiorum, partim docendi rationem, qua PAVLLVS, quum primum ecclesiam fundaret, fuerit usus, non nihil attendere, haud parum, opinor, conducet. Corinthii admodum delectabantur ornato atque ad ostentationem nitido dicendi genere, adeo ut Corinthia verba in proverbum abierint, ut pro exquisitis et perquam elaboratis, vel etiam pro delicato et molli dicendi genere ponerentur. (b) Amabant σοφίαν λόγῳ, et dabatur secta quaedam philosophorum, qui verborum praecipue ac rationum acumine se exercebant, loquentesque nuncupabantur, et διαλεκτικοῖς veteribus originem debebant. (c) Docendi vero ratio, qua utebatur PAVLLVS, primis Christianae fidei principiis Corinthiorum animos imbuturus, quum ii prorsus expertes divinatorum essent mysteriorum, distincta, simplex, et perspicua esse

B 3

z) in dec. diff. hist. theol. diff. X. de apostolis uxoris, p. 362.

a) in pecul. schediasm. de matrimonio Pauli, Flensb. 1707. edito.

b) vid. QVINCTILIAN. lib. VIII. cap. III. HADR. IVNIVS in adagiis p. 232.

c) vid. CAMP. VITRINGA in Obs. sacr. T. I. lib. III. c. XXI. de schismatis et sectis ecclesiae Corinthiacae p. 808. sq. M. LAVR. MULLER. diff. I. de eloquentia Apollonis, p. II. sq.



esse debebat, et quae vano atque inani cultu atque ornatu omni ino-  
careret. Missus namque PAVLLVS erat, ad profitendam euan-  
gelii doctrinam, non in sapientia verbi, ne inanis redderetur  
crux Christi; (d) vnde lac potandum illis dabat. (e) Quum enim  
vellet φυτεύειν, (f) hoc est, doctrinam simpliciore[m], et religionis  
christianae rudimenta eorum animis inserere, non poterat alio,  
quam facili docendi modo vti, et qui simpliciorum captui et in-  
genio esset adcommo[datus]. Quantacumque enim eorum sapien-  
tia fuerit, ab euangelii tamen doctrina, eiusque mysteriis, plane  
alieni, adeoque rudes maxime erant.

## §. XII.

Ad hanc igitur docendi rationem, quam praesens PAVLLVS  
adhibuerat, mentem procul dubio intendebant obtrectatores,  
eamque per calumniam λόγον ἐξεθενημένον vocabant. Manifeste  
enim λόγον, quo absens in epistolis vtitur, λόγω, quo praesens v-  
sus fuerat, opponunt. Illum dicunt βαρύν ἢ ἰχυρόν εἶναι, vim ac  
potestatem spirare, hunc non item; sed arrogatam illam potesta-  
tem in epistolis esse, nec convenire PAVLLO, ipsum satis prodi-  
disse praesentia sua Corinthi, vbi λόγος fuerit ἐξεθενημένος. Non  
igitur stilum, sed docendi methodum illi exprobrant, quam ne-  
gant esse apostolicam, auctoritate apostolo digna praeditam, sed  
deiectam, humilem, et per hoc contemptam, utpote in qua nulla lo-  
quentis seueritas adpareat, quæ non referat eam auctoritatem, qua  
tonent et fulminent epistolae. Non hoc dicebant quoad nitore[m]  
et elegantiam sermonis, hac enim parte sermo eius non dif-  
ferebat ab epistolis, sed quoad auctoritatem et potestatis significa-  
tionem. (g)

## §. XIII.

Possent quidem forsitan vox ἐξεθενημένος tantum ad vocem, qua  
PAVLLVS forte utebatur, non admodum sonoram, sed exilem et  
debilem, et quae a debili et infirmo corpore proveniret, referenda  
videri. Sed quia τὸ βαρὺ ἢ ἰχυρόν, quod τῷ ἐξεθενημένῳ oppo-  
nunt, omnino de interna sermonis virtute intelligendum est, et  
PAVLLVS ipse ita explicat, quum dicit, se, qualem absentem  
cognouerint, nempe auctoritatem praese ferentem, talem etiam  
praesentem se gerere velle: rectius omnino in ea, quam modo ex-  
posuimus, persisti explicatione, et, si de vocis exilitate voluerint  
dice-

d) 1. Cor. I. 17.

e) 1. Cor. III. 12.

f) 1. Cor. III. 6.

g) POLVS in Synopsi Crit. p. m. 599.



dicere, illud sub praesentia corporis infirma comprehensum iam esse, putauerim.

## §. XIII.

Conferamus similem obiectionem Apostolo factam, quam capite sequenti vndecimo, commate sexto adducit, ac diluit, inquitens: *εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, ἀλλ' ἐν τῇ γνώσει κ. τ. λ.* quoniam haec duo loca haud parum se inuicem illustrant. Nam λόγος, qui heic tribuitur ἰδιώτη, et qui dicitur ἐξεθενημένος, plane idem est ex mente obtrectatorum. Notandum enim est PAVLLVM non de se confiteri, esse se ἰδιώτην τῷ λόγῳ, quae opinio multis familiaris est; sed falsorum apostolorum iudicium de ipso latum adferre. Id quod ex verbis sequentibus adparet; ἀλλ' ἐν φαντὶ φανερωθέντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς, in quibus huic calumniae contradicit, prouocans ad experientiam, quae Corinthios satis doceat, neque in sermone, neque in cognitione, ἰδιώτην se esse. Ad ipsa vero verba ἰδιώτης τῷ λόγῳ quod attinet, falsissima illorum (b) opinio est, qui, de inculto atque plebeio stilo sermonem esse, autumant. De cuius enim epistolis fatebantur aduersarii, eas esse βαρείας καὶ ἰσχυράς, hunc non poterant stili imperitum iudicare. Itaque rectissime HONNERTVS (i) haec duo loca inter se comparat, verumque eorum sensum commonstrat. *Vides, inquit, hic (nimirum II. Cor. X. comm. X.) disertis verbis distingui, inter PAVLLI λόγον, quo utebatur praesens inter Corinthios, et quo utebatur absens in epistolis. Λόγος, quo utebatur in epistolis, erat βαρὺς καὶ ἰσχυρὸς, sed λόγος, quo utebatur praesens, erat ἐξεθενημένος. Transfer hoc ad locum 2. Cor. XI. 6. et sensus eius erit clarissimus. Dicunt enim falsi apostoli, quod Apostolus, inter Corinthios praesens, sit ἰδιώτης τῷ λόγῳ, quamuis praesens inter Corinthios nequaquam sit ἰδιώτης τῇ γνώσει. Qualis sit PAVLLVS λόγῳ vel γνώσει in epistolis eius, de eo hic non agitur, hoc enim capite praecedenti satis declarauerant: dicunt tantum PAVLLVM, licet, inter Corinthios versatus, ἰδιώτης τῷ λόγῳ sit, scientia tamen excellere. Hinc est, quod PAVLLVS proxime sequenti versu de ministerio, quo praesens inter Corinthios functus erat, loquatur. PAVLLVS videtur aliquantulum mitioris ingenii fuisse, (vel potius de industria, ob rationes paullo superius §. XI. addu-*

ctas,  
b) in quibus est CLERICVS in EL. BENOIST, aduersus quem cala-  
Annot. ad Hammondi paraphras. N. mum strinxit TACO HAIO VAN  
T. T. II. p. 231. it. in Arte Crit. T. I. DENHONNERT de stilo N. T. graeco  
art. II. sect. I. c. XI. §. 10. p. 261. it. i) l. c. p. 259.



etas, mitem, ientem, et impucentem exnuduille, ) qui ita eo videbatur praesens mitius et indulgentius cum Corinthiis agere, quam quidem faciebat per epistolas : hoc arripiunt falsi apostoli ad PAVLLVM inter Corinthios fugillandum. Est ac si falsi apostoli dicerent : quod PAVLLVS ceteris apostolis aequalis non sit, patet ex ipsius docendi metodo ; reliqui apostoli docent, tamquam qui auctoritatem nacti sunt a DEO et ab eius spiritu, PAVLLVS vero docet, tamquam qui auctoritatem a Deo non est nactus, utitur metodo docendi, quali uti solent, qui sunt ἰδιώται, id est, qui nulla publica auctoritate polent. Et quae sunt reliqua ab HONNERTO docte et solide disputata, ubi imprimis significatum vocis ἰδιώτης perquam egregie illustrat, et ἀπολίτευτον quempiam seu priuatum denotare, qui muneri in republica vel ecclesia non praest, atque adeo publica destituitur auctoritate, multis exemplis probat. Post hunc non possum non denuo laudare M. LAVR. MVLLERVM. (k)

## §. XV.

Ex his vero perspicitur, quam male de PAVLLO ii iudicent, qui stilum idioticum temere confectum ei tribuunt, propriamque PAVLLI vrgent confessionem, quum tamen neque propria confessio reperiatur, et eorum, quorum verba Apostolus adducit, mens plane alia fuerit. Vnde deterius, quod pudendum, de PAVLLO sentiunt, quam ipsi, Apostoli tempore, aduersarii. Quum vero illi et alia conquirant, quae sententiae suae praetexant, a nobis tamen in praesenti non refutabuntur amplius, tum ut modum dissertationis seruemus, tum quod ad alios, erudite ista discutientes, lectorem remittere, quam, quae ab illis dicta sunt, describere, potius duximus. (l)

## §. XVI.

Quae PAVLLVS ad aduersariorum dicterium, a nobis hactenus expensum, regerat, considerari iam mererentur ; sed limites, quos nobis posuimus, egredi nolumus. Lectorem beneuolum rogo, ut, si qua in re erratum, aut minus curate actum videatur, mihi ignoscat, memor non eruditionis, quae, sentio, quam sit exigua, ostentandae, sed rationis studiorum iis, qui exposcunt, reddendae causa, me ad scribendum animum adpulisse. Maleuolos, inuidos, Momos non moror. Hosque conatus meos qualescumque trita illa, sed pia, ob signo clausula :

SOLI DEO GLORIA.

k) T. III. der Erläuter. p. 235. sqq. et *adfecto*, Schleus. 1718. hab. p. 15. seqq. in *diss. de stilo idiotico scriptoribus no-* l) vide eiusd. *diss. cit. et aucto-*  
*ui federis ac praecipue Paulo a Criticis* res ibi laudatos.

*Coll. diss. A. 44, muse. 29*